



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 87. Cosmas a Philippo II. in totius Senensis status possessionem
immissus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc XVI.
A C 1557

tur, & licet primo conditiones, quas Ducis nomine Ludovicus Toletanus propofuerat, nimium superbas, atque temerarias censeret, nihilominus forte magis compulsus, quam persuasus cedere statuit, Ducique plenam Senensis ditionis possessionem adjudicare decrevit.

§. LXXXVII.

Cosmas a Philippo II. in totius Senensis status possessionem immiffus.

*Pallav. l. c.
Thuan. l. 18.*

Ea igitur dexteritate Cosmas Papam æque, ac Franciæ, & Hispaniæ Reges decipiebat, suamque ditionem hac arte latius novo incremento protendebat, nam fœdus sub hisce conditionibus fuit initum. I. Cosmas Florentiæ Dux, ejusque liberi ex Philippi beneficio Senensem ditionem accipiant, uti eam ipsemet Philippus a Cæsare Parente suo obtinuerat, excepto Herculis portu, Telamone, Monte-argentario, Orbitello, & Plombini arce, quæ loca sibi Philippus fervaret. II. Hoc præstito æs omne alienum tam Cæsari olim a Cosma commodatum, quam in belli sumptus impensum, quod ipsi a Philippo debebatur, penitus solutum intelligatur, quin illud Florentiæ Dux repetere possit. III. Fœdus, vi cujus uterque vicissim hinc ad
Princi-

Principatus Mediolanensis, ac Regni Neapolitani, atque inde ad Etruriæ defensionem concurrant, fanciatur. IV. Cosmas quadringentos equites, & quatuor millia peditum; Philippus vero quadringentos cataphractos, sexcentos levis armaturæ equites Italos, decem millia peditum, atque impræsentiarum ad recuperanda, quæ a Gallis fuere occupata, loca insuper quatuor millia peditum, & quadringentos equites cum sex mensium stipendio subministrare teneatur. V. Reipublicæ Senensi libera administratio, ac Magistratibus ejus regimen relinquatur.

Ita igitur Papa, ac Galliarum Rex deludebantur, eorumque credendi facilitas, atque Hispanorum odium, necnon utriusque Nationis æmulatio demum Cosmæ occasionem dedit, ut Senense imperium tanquam singularis prudentiæ suæ præmium ferret: hinc mox Burgensis Cardinalis sine mora Senis excedere, ac Figueroa fœdus ad exitum deducere jubebatur: quapropter die decima nona Aprilis discedentibus inde præsidiariis Hispanis Cosmæ nomine urbs Ludovico Toletano tradebatur, præstito prius juxta pacta solemnî fidei Sacramento.

Sæcul. XVI.
A.C. 1557.